



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres**

**Schevichavius, Gisbertus**

**Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.**

Capvt XLII. Fervens Et Concitus Ad Iram, ad clericatum ineptus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42349**

litiarum illecebris obnoxia iam tenetur. Quam ex illo cœno emergendi difficultatem luxuriosi experientes animo sæpe cadunt, & emendationem ac salutem in desperatis ac perditis impiè habent, nec salutaria confilia vel capiunt ipsi, vel ab aliis suscipiunt. *Hosea 5. vers. 4.* Non dabant cogitationes, ut reuertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. *Ephes. 4. v. 19.* Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitia, in operatione immunditie omnis. Sicq; manent inquinatissimi dæmonis fœdissima mancipia. *Tobia 6. vers. 17.* Qui sue libidini vacant, sicut equus & mulus super eos habet dæmonium potestatem. *S. Isidor. lib. 2. de summo bono cap. 39.* Duobus principaliter vitii diabolus humano generi dominatur superbia mentis & luxuria carnis.

Libidinis  
qui seruus  
est, & dæmo-  
nis est seruus.

## CAPVT XLII.

FERVENS ET CONCITVS AD IRAM,  
ad clericatum ineptus.

§. IRAM immoderatam vindictæ cupiditatem, valetudinis pestem, iudicii ac prudentiæ perturbatricem totis viribus tanquam furentem beluam effugiant: nam de Clerico loquens Apostolus, *Tit. i. vers. 7.* Oportet, ait, eum esse non iracundum. *S. Chrysost. lib. 3. de sacerdot.* Huiusmodi, inquit, ingenio perdit; qui ad contumeliam, vim, incommodum, molestum aliquod verbum grauiter excandescunt, ab Episcopatus cancellis, a sacerdotum claustris procul arceudi sunt. Nam Episcopum inedia minime cruciari, extenuarique, tum eundem nudis pedibus nō ingredi, id certe nihil incommodabit Ecclesie vniuersitati, at vero agrestioris animi ferocitas furorque, tum Domino possessorique suo, tum proximo etiam ingenium calamitatum auctor sæpe fuit. Atque iis quidem qui virtutes illas non præstant, nulla à Deo comminatio, at temere

Ira definitio  
& insania.

Potior ani-  
mi lenitas  
quam vita  
austeritas.

Ira declinanda.

excandescantibus gehenna flammis aternas comminatus est. Rectè s. Ambrosi. 3. offic. c. 9. Sacerdotis est nulli nocere ne laesisset quidem & aliqua iniuria offensus: prodesse velle omnibus; posse autem solius est Dei. Quæ enim est gloria, si eum non laedimus, qui nos non laeserit? sed illa virtus est, si laesus remittas.

## CAPVT XLIII.

IRE CONCITATIO QUAM  
primum reprimenda.

Iracundus vitandus.

Nulla stabili firmaque cum irritabili amicitia.

Exulceratus animus que mala pariat.

**I**RACUNDIA omnibus quidem Christianis, potissimum tamen Ecclesiasticis est euitanda, imo & irritabiles, & ad iram concitos derelinquendos hortatur Salomon Prouerb. 22. ver. 24. Noli, inquit, esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso. Ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum anime tuæ. Dum nimirum offertur tibi occasio impingendi sepius & labendi. Neque cum stomachoso constans potest esse amicitia, vt qui leuissimis de causis succenset amico & officit: hinc Eccles. 8. v. 19. Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in desertum, quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, & vbi non est adiutorium, elidet te. Hanc vlciscendi cupiditatem compescens Apostolus Ephes. 4. v. 32. & 33. Omnis, inquit, amaritudo, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Amaritudo & acerbitas est venenata radix, vnde cætera illa vitia pullulant & germinant, nimirum 1. indignatio ire inchoatio in animo feruescens. 2. ira vindicandi cupiditas. 3. clamor sine pudore & ratione vociferatio. 4. blasphemia maledicentia & apertum conuitium, quibus tumorem mentis & rixas addit Sanctus Gregorius libro trigesimo primo Moralium, capite trigesimo primo. Rursus Apostolus